Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite
Quelle:
Copyright:

LECTORI.

aliquid eis amplius quidem, quam *ultimam limam* deeſſe. Quare, non limam, ſed Codices ſingulos viritim arripiens ita in unoquoque eorum excutiendo, tractandoque verſatus ſum, ac ſi ante me nemo hactenus in manus illum ſumſiſſet, ratus, non majus in hoc me temporis facturum impendium, quam lecto, expenſoque Gentiloto mea inculcando, et ejus ſtilo dictionem meam accommodando. Atque haec affirmando Divae Veritati me litaſſe, luculento docebitur is experimento, qui Gentilotianos Indices in Bibliotheca Palatina palam proſtantes inſpicere, cumque praeſenti Opere meo contendere et poterit, et volet. Quod ut quam plurimi poſſint, et velint, optandum mihi eſſe intelligo.

His porro expeditis reſtat, Lector! ut ipſam Operis Οικονομιαν in limine Tibi breviter exponam. Codices omnes, ſervato quidem Diſciplinarum diſcrimine, nulla tamen alia certa ratione, ſi formam excipias, in forulis collocavere Majores noſtri. In eodem praeterea Codice ſaepiſſime, ut fit, Scripta, cum ad diverſas Scientias, tum ad diverſas ejusdem Scientiae partes pertinentia temere compacta ſunt. In recenſendis Codicibus ordinem forulorum ſecutus ſum; verum his exhauſtis Summam omnem, non absque magno labore, in ea digeſſi *Genera*, quae mihi jam olim ſub finem *Partis I.* Εισαγωγης meae *in Rem librariam, Vindob. MDCCLXXVII. 4.* praefixeram, illorum cummaxime ductus commodo, qui, dum in uno quopiam Genere elaborant, levari amant moleſto volvendarum paginarum taedio, omnibus, quae ejusdem ſunt Generis, in conſpectu poſitis. Cum vero, quo minus id inſtitutum penitus tenerem, obſtaret varia illa, quam dicebam, Codicum conſarcinatio, Indicibus ſolerter a me confectis juvandus eras, Lector! Indicibus inquam; nam, dum Codicibus Theologicis infarcta eſſent non raro Scripta ad alias Scientias ſpectantia, peculiari horum Indice opus eſſe cenſui, eoque non ad Alphabeti legem, ut eſt Theologicus, concinnato, ſed ad Materiae indolem, ſeriemque, cujus diviſiones aſteriſcis indicaſſe, intelligenti Tibi ſatis fuerit. Codices ſingulos duplici inſignitos numero vides.

Atque